

enim existimat etiam vetera sacramenta contulisse gratiam, quam significabant, quem sequitur Bonaventura, in 4, d. 1, art. 1, quæst. 5. Alii vero respondent concedendo assumptum, et negando, vetera sacramenta fuisse vere et proprie sacramenta, et univoce cum nostris, quod videtur sentire Magister, quem D. Thomas secutus est in 4, d. 1, quæst. 1, art. 1, quæstiunc. 3, ad 5.

6. *Tertia sententia.* — Tertia sententia esse potest, de ratione quidem sacramenti esse, ut significet sanctitatem, non vero, ut aliquam sanctitatem conferat, neque perfectam, neque imperfectam, quæ videtur esse communis opinio discipulorum D. Thomæ, ut significant hic Soto, et Ledes., quia D. Thomas, in his articulis, solam significationem requisivit ad sacramentum, non vero sanctificationem.

7. *In sacramento requiritur ex parte materiæ, ut sit cæremonia ad conferendam aliquam sanctificationem instituta.* — *Antiqua cum novis sacramentis univoce convenire probatur.* — *Objectio.* — *Responsio.* — *Esse signum signi non tollit univocationem.* — *Conferre veram sanctitatem non est de ratione sacramenti ut sic; conferre aliquam sanctitatem est de ratione sacramenti.* — Dico tamen 1º, quamvis non sit de ratione sacramenti, ut conferat interiorem animæ sanctitatem, tamen ex parte materiæ, seu rei impositæ ad significandum, de ratione illius esse, ut sit cæremonia instituta ad conferendam homini aliquam sanctificationem. Prior pars sufficienter mihi probari videtur argumento illo ex veteribus sacramentis desumpto, quæ, ut suppono ex dicendis infra et quæst. 62, gratiam ex opere operato non conferebant, neque oppositum potest aliqua probabilitate affirmari, excepta circumcissione, neque Hugo aut Bonav. quoad hoc in re videntur dissentire: nam videntur magis loqui de gratia ex opere operantis, quam ex opere operato, quæ tamen gratia nihil refert ad rationem sacramenti: communis enim est omnibus operibus meritoriis, unde non significatur per sacramentum, ut sacramentum est, id est, ratione institutionis ejus, sed ut opus meritorium est, ad eum modum, quo causa potest suum effectum significare. Immerito autem negatur, illa sacramenta fuisse simpliciter atque univoce sacramenta. Primo, quia Sancti Patres ita de illis loquuntur; præsertim Augustinus, 19 contra Faustum, c. 41, comparans sacramenta nova cum veteribus,

dicit nostra perfectiora, in comparatione autem supponit utraque esse vera sacramenta, deinde generalem regulam statuit, non posse homines in aliquod nomen religionis congregari, nisi aliquo visibilium sacramentorum consortio; sub quo principio subsumere possumus, in lege veteri fuisse veram religionem divinam, et supernaturalem, et modo hominibus accommodato: cur ergo negabimus fuisse in illa vera sacramenta? Præterea, in illis sacramentis continebantur et occultabantur supernaturalia mysteria: non enim instituta erant solum propter illud visibile, quod in eis prospiciebatur, sed propter altiora mysteria: sed ubi est vera ratio mysterii, potest esse vera ratio sacramenti, ut ex dictis patet: ergo. Tandem illa erant vera signa, sub quo genere sacramentum constituitur, ut diximus, et nulla est sufficiens ratio analogiæ. Dices, esse analogiam, quia illa sacramenta erant signa nostrorum sacramentorum, atque ita habuisse rationem sacramenti per ordinem ad nostra, in quo consistit ratio analogiæ. Respondetur in primis, non omnia illa sacramenta significasse nostra sacramenta, sed interdum significasse alia mysteria, vel effectus nostrorum sacramentorum, quod non est satis ad analogiam. Deinde etiam quatenus significabant nostra sacramenta, erant univoce sacramenta cum illis, quia sicut datur signum rei, ita potest dari signum signi, quod tam verum signum est, sicut signum ipsius rei, quia non accipit rationem signi ex habitudine ad aliud signum, quatenus significatum est: sicut imago imaginis tam vera imago est, quam imago prototypi, et nostrum sacrificium perfecte ac univoce sacrificium est, quamvis sit imago sacrificii, et similiter sacrificia vetera, quamvis signa essent vel nostri sacrificii incruenti, vel sacrificii cruenti Christi, nihilominus erant simpliciter ac univoce sacrificia. Unde tandem confirmatur: nam si in veteri lege erant proprie ac univoce sacrificia, cur non essent sacramenta? Cum ergo vera ratio sacramenti in illis servetur, et illa veram sanctitatem non contulerint, non potest hoc esse de ratione sacramenti ut sic.

8. Dico 2º, de ratione sacramenti esse, ut conferat aliquam sanctificationem saltem imperfectam. Hæc conclusio fere probata est in sectione præced., et colligi potest facta inductione in omnibus veris sacramentis, quæ hactenus fuerunt instituta: nam de sacramentis legis novæ constat sanctificationem

conferre; de veteribus id probat, atque explicat D. Thomas, in 4, dist. 1, art. 5, quæst. 2, et 3, et est per se manifestum ex institutione sacramentorum. De tempore autem legis naturæ solum nobis constat de uno sacramento, quod in remedium originalis peccati tunc erat. Sed nos non loquimur de sacramentis, nisi prout hactenus fuerunt in usu, neque aliunde eorum rationem colligere possumus, præsertim cum sunt res quædam artificiales, quæ totum suum esse habent ab institutione. Præterea, quia supra ostensum est sacramentum debere esse cæremoniam aliquam ad cultum Dei ordinatam, quæ in hoc differt a sacrificio, quod non immediate refertur ad Deum, sed ad cultores Dei, ut ex usu omnium constat: ergo de ratione sacramenti est, ut per ipsum conferatur aliqua sanctificatio saltem imperfecta cultoribus Dei. Denique hanc conclusionem confirmant omnia, quæ in præcedenti sectione, assertionem prima, adduximus.

9. *De ratione sacramenti est veram sanctificationem significare.* — *Primo probatur.* — *Antiqua sacramenta significabant gratiam per Christum dandam.* — *Sacramenta esse veteribus nobiscum communia, non tamen gratiam.* — *Cur non sit sacramentum prima tonsura.* — *Aqua lustralis.* — *Absolutio ab excommunicatione, etc.* — Dico 3º, de ratione sacramenti esse, ut conferendo sanctitatem aliquam, significet veram animæ sanctitatem. Itaque, si hæc interna sanctitas per ipsum sacramentum vel in ipso confertur, per illud etiam significatur, de quo nullus dubitat: si vero solum conferat legalem et imperfectam sanctitatem, nihilominus, ut verum sacramentum sit, necesse est, ut aliquid altius, ac divinius, interiorem scilicet sanctificationem significet. Hanc assertionem sumo ex D. Thoma, art. 2, ad 3, dicente, rationem sacramenti in hoc compleri, quod humanæ sanctitatis perfectionem significet. Idemque affirmat inferius, quæst. 64, art. 3; sentit etiam Augustinus, 19 contra Faustum, c. 46, dicens, sacramentum esse donum temporale, significare vero donum æternum. Et probatur primo inductione, et quoniam de sacramentis novæ legis, et de circumcissione, et de sacramento legis naturæ, quod erat in remedium originalis peccati, nulla est controversia, de cæteris sacramentis veteribus, in universum probatur ex Concil. Florent. in litteris Unionis, ubi sacramenta vetera vocat simpliciter sacramenta, quamvis gratiam non conferrent, quia significabant gratiam per Christum dan-

dam. Unde Dionysius, cap. 5, de Eccles. Hierarch., p. 3, dicit legale sacerdotium, et sacramentum, sacerdotium nostrum nostraque sacramenta figurasse: idem sentit Augustinus, in exposit. Psal. 76, in principio, ubi inter alia dicit, sacramentum regni cælorum fuisse velatum in veteri Testamento, quod plenitudine temporis revelaretur in novo; et infra dicit, sacramenta fuisse omnibus communia, non tamen gratiam, quæ est virtus sacramentorum, et adducit testimonium Pauli, 1 ad Cor. 10: *Bibebant autem de spiritali consequente eos petra: petra autem erat Christus.* Facit etiam, quod ibidem generatim Paulus ait: *Omnia in figura continebant illis.* Posset etiam hoc in specie ostendi discurrendo per singula illius legis sacramenta: sed quia onerosum hoc esset, et præter nostrum institutum, legi potest D. Thomas, 1, 2, quæst. 102, art. 4. Secundo probatur eadem assertio, quia in lege nova multæ sunt cæremonie sacræ, ad aliquam sanctificationem fidelium institutæ, quæ sacramenta non sunt: et tamen non possunt alia ratione convenienti excludi, nisi quia non habent prædictam significationem: est ergo illa significatio de ratione sacramenti. Antecedens declaratur variis exemplis. Primo, prima tonsura cæremonia sacræ est, per quam incipit homo dicari cultui divino, unde aliquam sanctificationem confert, et significat: tamen non est sacramentum, quia non significat gratiam. Secundo, aqua lustralis est etiam cæremonia sacræ, et aliquam sanctificationem habet, præsertim, si verum est delere peccata venialia. Tertio, absolutio ab excommunicatione dici potest quædam legalis sanctificatio: nam excommunicatio, quædam legalis macula esse videtur, non minus quam essent in veteri lege legales irregularitates, a quibus sacramenta vetera homines mundabant, ut D. Thomas, in 4, loco cit., et Augustinus, lib. 2 de Pecc. mer., cap. 26. Quarto, per signum crucis, per manus impositionem, confertur catechumenis aliqua sanctificatio imperfecta, et tamen constat non esse sacramentum proprie, ut loquimur, quamvis ab Augustino, ibi, vocetur sacramentum latissima significatione. Tandem addere possumus professionem, quæ in religione fit, quæ sacramentum habet significationem, et aliquam sanctificationem, quia per eam singulari modo dicatur homo cultui divino.

10. *Objectio.* — *Responsio.* — *Cur solus Deus potest sacramenta instituere.* — *Confir-*

matur. — Dices, hæc omnia, non esse sacramenta, vel quia tantum sunt dispositiones quædam ad perfectam sanctificationem, ut hic dicit D. Thomas, art. 2, ad 3, vel quia tantum sunt ab Ecclesia instituta. Sed primum non obstat, nisi illa particula exclusiva, tantum, excluderet etiam significationem gratiæ, de qua loquimur: nam etiam sacramenta vetera in ratione causæ solum erant dispositiones quædam imperfectæ ad sanctificationem veram et perfectam: tamen, quia in ratione signi non solum hoc habebant, sed etiam significationem veræ sanctificationis, ideo vera sacramenta fuere: et ideo S. Thomas, in illa eadem solutione conclusit, de ratione sacramenti esse, ut significet perfectionem sanctitatis humanæ. Secundum etiam nihil obstat, quia, si res ab Ecclesia instituta haberet totum, quod est de ratione sacramenti, parum referret, quod a Christo, vel ab Ecclesia esset instituta: quia res non denominatur talis a causa agente, sed a ratione intrinseca constitutiva rei, undecumque illam habeat. Quocirca, hinc potius sumi potest argumentum ad confirmandam conclusionem, quia si verum est, ut re vera est, quod Theologi docent, et infra quæst. 64 tractandum est, non posse sacramentum verum institui, nisi a solo Deo, aut ex speciali commissione seu potestate ejus, hoc ideo est, quia sacramentum esse debet signum gratiæ conferendæ: nam, quia solus Deus potest esse auctor gratiæ, solus potest etiam hujusmodi verum signum instituere: ergo talis significatio est de ratione sacramenti: nam si sufficeret significatio cujuslibet imperfectæ sanctitatis, sicut potest Ecclesia cæremonias instituere, quæ et conferant, et significant hujusmodi sanctitatem, ita posset sacramenta instituere. Ultimo argumentor ex proprietate nominis, é sacramentum: significat enim arcanum aliquod, et latens mysterium; si autem solam externam sanctificationem, et imperfectam significaret, nihil magnum vel arcanum in se contineret: oportet ergo ut aliquid internum et spirituale significet, et quia hoc nomen specialiter accommodatum est ad significanda illa signa, quæ ad nos pertinent, et ad nostram sanctitatem sunt aliquo modo instituta, ideo necesse est ut ad perfectam sanctitatem hominis habitudinem dicant. Confirmatur tandem, quia sacramentum dicit habitudinem ad sanctitatem univocam, quæ est sanctitas interna per gratiam: nam alia imperfecta et externa solum analogice meretur

nomen sanctitatis: sed illa habitudo, quæ communis esse potest omnibus sacramentis, non est nisi habitudo signi; ergo.

11. *Objectio.* — *Sacramentum potest conferre imperfectam sanctitatem et significare perfectam.* — *Nostris sacramentis convenit proprie esse demonstrativa gratiæ præsentis.* — *Quomodo conveniat sacramentis ratio signi practici.* — *Objectio.* — *Responsio.* — *Transitus maris rubri, et manna excluduntur a ratione sacramenti.* — Dices: quomodo sacramenta vetera poterant esse signa gratiæ, cum in illis per se, et ex vi sacramenti non daretur gratia, et alioquin sacramentum esse debeat signum practicum, et demonstrativum gratiæ. Respondetur non esse de ratione sacramenti, ut significet gratiam, quæ in ipso datur: sed satis esse, ut significet gratiam dandam aliquo tempore. Quare non est necesse, ut sacramentum significet solam sanctitatem quam confert: potest enim conferre imperfectam sanctitatem, et significare perfectam: sicut nostra sacramenta non solum significant gratiam, quam conferunt, sed etiam gloriam, quam promittunt. Quare non est etiam de ratione sacramenti ut sic, quod sit signum demonstrativum gratiæ præsentis, quamvis hoc conveniat nostris sacramentis: sed abstrahit secundum communem rationem sacramenti a signo demonstrativo, et promissivo, seu prognostico: et ita in sacramentis veteribus non dabatur, sed promittebatur gratia aliquando danda. Denique hinc sequitur, si practicum signum dicatur illud, per quod, vel in quo actu datur gratia, non esse de ratione sacramenti ut sic, esse hoc modo signum practicum: si autem signum practicum dicatur illud, in quo exercendo, et conferendo aliquam sanctificationem externam, significatur gratia conferenda, et secundum illum modum quo conferenda est, vel tunc, vel postea, sic omne sacramentum dici posse signum tale, quia non significat gratiam secundum se, et absolute, sed cum ordine ad opus, seu per modum actualis sanctificationis. Sed objicies, quia etiam hic modus significandi communis esse potest aliquibus rebus, quæ non sunt sacramenta, ut fuit transitus per mare rubrum, vel manducatio manna. Respondetur primo hujusmodi jam esse exclusa a ratione sacramenti per universaliorum quamdam rationem, scilicet, quia non erant cæremonia sacra, et stabiles, ac lege firmata: nam sacramentum, licet de formaliter dicat significationem, tamen connotat ve-

requirit, ut talis significatio in tali materia fundetur, ut dictum est, et in sequenti sectione latius explicabitur, sicut scriptura eadem significationem habere potest, quam vox, tamen dicit illam in tali materia. Deinde dicitur, illa signa non contulisse sanctificationem aliquam etiam imperfectam, atque adeo non significasse unam sanctificationem perfectam, exercendo saltem imperfectam, et in hoc defecisse ab ea ratione signi practici. Et ex his satis reponsum est ad fundamenta aliarum opinionum.

12. *Sacramenta nova, et vetera in quo conveniant.* — *In quo differant.* — Atque hinc intelligitur primo, quomodo sacramenta nova et vetera generice atque univoce conveniant in ratione sacramenti, specie autem differant: conveniunt enim, tum in ratione cæremonia sacra, tum in ratione signi gratiæ, et sanctificationis nostræ, tum etiam in significanda Christi passione, quæ est fons totius gratiæ, tum denique in significanda gloria, quæ finis est hujus sanctificationis. Quamvis enim necesse non sit hæc omnia significata fuisse per singula sacramenta vetera, neque tam expresse et distincte, sicut per nostra, tamen non est dubium, quin sacramentis illis hæc omnia significata fuerint, cum ordine ad nostram sanctificationem: et hoc satis est, ut in ratione sacramenti univoce conveniant. Differunt tamen primo, quia diverso ritu externo et in diversis actionibus instituta sunt, ut per se constat, et rationem reddidit Augustinus dicto lib. contr. Faustum et dicta Epist. 118, quia mutata lege, et statu rerum, quæ significandæ erant, oportuit etiam externum Dei cultum mutari. Unde quo status legis gratiæ perfectior est, eo oportuit actum sacramentorum esse etiam perfectiorem et faciliorem, et ad expressiorem significationem magis accommodatum. Unde est secunda differentia jam supra tacta, quod omnia nostra sacramenta sunt demonstrativa gratiæ præsentis, quæ per ipsa datur; vetera autem sacramenta, ex se tantum erant signa promissiva in futurum, ut colligi potest ex Concil. Flor., et ex Augustino, Psal. 73, et ex supradictis. Quomodo autem quoad hoc excipienda sint circumcisio et sacramentum parvulorum in lege naturæ, inferius, quæst. 62, tractabitur. Tertio differunt, quia nostra sacramenta clarius et apertius significant, et ideo in eorum ritu adjunguntur verba, ut postea dicemus. Quarto, significatio gloriæ magis

propria et immediata est in nostris sacramentis, ut colligitur ex Dionysio, cap. 5, de Eccles. Hierarch., ubi nostram Ecclesiam ponit mediam inter synagogam, et Ecclesiam triumphantem, quia in nostra datur gratia per sacramentum, et immediate significatur gloria, cujus janua aperta jam est: et ideo ab hac nostra Ecclesia immediate fieri potest transitus ad illam triumphantem; at vero in lege veteri ex vi illius et sacramentorum ejus, nec dabatur gratia, nec significabatur gloria, ut post illum statum immediate consequenda, et ideo Paulus ad Hebræos 10, dicit, legem veterem fuisse umbram futurorum, nostram vero continere ipsam imaginem rerum, ut ibi notant Theodoret. et Theophyl. qui in eadem sententiam refert Gregorius Nazianz., oratione de Paschate.

13. *Conferre, et significare sanctificationem, diversas esse rationes, alteram vero formalem.* — Secundo intelligitur ex dictis, quomodo in eadem rationem sacramenti illa duo jungantur, scilicet conferre, et significare sanctificationem, sunt enim hæc duæ rationes valde diversæ. Altera enim ad genus actionis, altera vero ad genus relationis pertinet, et ideo non videntur posse componere eandem rationem sacramenti. Dicendum vero est, alteram istarum rationum per se requiri ex parte materiæ, seu rei ad significandum impositæ, alteram vero, ex parte rationis formalis: nam ut sacramentum imponatur ad significandam gratiam, supponi, vel institui debet, ut sit cæremonia sacra, aliquam sanctificationem conferens; hoc ergo est quasi materiale, quia est res, quæ ad significandum imponitur, cuique adjungitur significatio, tanquam ultima ratio formalis constitutiva sacramenti.

14. *Interdum significatio in intentione, et sanctificatio in executione prior est.* — *In nostris prius intentum sanctificatio.* — Quo etiam fit, ut licet in re, quæ est sacramentum, interdum primario intendatur significatio ex intentione agentis, tamen in executione immediatius conferatur sacramentum ad aliquam sanctificationem conferendam, quia semper fit sacramentum per modum cæremonia sacra, et sacrantis, et hoc est quasi materiale, quod significationi subternitur. Quapropter si sanctificatio propter quam conferendum instituitur sacramentum est perfecta, et per gratiam sanctificantem, tunc non est necesse, ut etiam ex intentione instituentis primario sit sacramentum insti-

tutum propter significationem, sed propter effectum, seu donationem sanctificationis, quia tunc huiusmodi finis videtur altior, et perfectior, et ita potest esse magis intentus.

15. *Objectio.* — *Responsio.* — Dices : si ratio causæ, seu conferendi sanctitatem nobilior est quam ratio significandi, cur hæc potius dicitur formaliter constituere rationem sacramenti, quam prior? Respondetur, aliam rationem esse reddendam si loquamur de sacramento, aliam vero si agamus de nostris sacramentis; loquendo enim in communi, habitudinem aliquam dicit ad sanctitatem perfectam, quæ habitudo non est generalis, nec communis omnibus, nisi in ratione signi, et ideo hæc est, quæ formaliter constituit rationem sacramenti, et sub hac communi ratione non est nobilior ratio conferendi, quam significandi sanctitatem, quia sacramentum ut sic in ratione conferendi sanctitatem abstrahit a sanctitate perfecta, vel imperfecta, quia quodcumque horum sufficit ad rationem cæremonie sacræ, aptæ ut sit veluti materia ad altiorem significationem imposita; at vero in ratione signi, non abstrahit, sed determinatur ad perfectam sanctitatem, ut constituatur sacramentum in absoluta, et perfecta ratione sacramenti. Si autem agamus de nostris sacramentis, quamvis in esse entis perfectior sit ratio causæ, quam ratio signi respectu ejusdem sanctitatis, tamen, quia differentie futuræ sunt proportionatæ generibus, et sub generico conceptu sub ratione signi constituuntur, ideo in eadem latitudine speciem, et differentiam sortiuntur. Accedit etiam, quod in modo suæ significationis includunt suam causalitatem, quia significant ut efficacia signa gratiæ, seu significant gratiam, ut a se conferendam, et ita in huiusmodi ratione signi quodammodo includitur tota perfectio causæ respectu ejusdem sanctitatis.

SECTIO III.

Utrum oporteat sacramentum signum esse sensibile ex institutione.

1. Explicuimus significationem sacramenti ex parte rei significatæ: reliquum est, ut ex parte rei significantis, et modi participandi significationem eam declarem. Non defuerunt autem hæretici, qui negaverunt omnia sacramenta esse sensibilia, præsertim in lege gratiæ, quorum errorem commodius confutabimus in quæst. 61.

2. *Sacramentum esse debere signum sensibile.* — *Signum humanum quod sit.* — *Prima congruentia.* — *Secunda congruentia.* — *Tertia congruentia.* — *Quarta congruentia.* — Dico ergo 1^o, sacramentum debere esse signum sensibile, et consequenter rem, quæ ad significandum imponitur, debere esse aliquomodo materialem, et sensibilem: ita docent omnes Theologi, in 4, d. 1, et D. Thomas hic, art. 4, cum Augustino, 49 contra Faustum, cap. 11, et aliis Patribus supra citatis, et statim referendis; et patet inductione in omnibus sacramentis legis veteris, et novæ: item ex definitione signi, quam tradit Augustinus, 2 de Doct. Christ., c. 4: Signum est, quod præter speciem, quam ingerit sensibus, aliquid aliud facit in cognitionem venire; quæ est definitio signi humani, seu hominum cognitioni accommodati; nam humana cognitio a sensibus incipit: cum ergo dicitur sacramentum constitui in genere signi, intelligitur de signo humano, atque adeo de signo sensibili. Atque hinc sumitur prima congruentia, ob quam omnia sacramenta instituuntur sensibilia, quia scilicet homo ex sensibilibus ad intelligibilia contemplanda traducitur, et ideo valde utile fuit in ipsomet exteriori, ac sensibili cultu religionis, internam sanctificationem significari, ut homo ad illam capessendam, et intelligendam manu duceretur: sic Dionysius, cap. 1, de Cœlesti Hierar.: *Nec enim (inquit) aliter fas erat infirmitati nostræ lucere divinum radium, nisi sacrorum varietate velaminum, quibus ad superiora ferremur, opertum, et his, quæ nobis familiaria sunt, providentia paterna naturæ mortalium sese accommodante, vestitum;* et de Eccl. hierarch., cap. 1: *Nos (inquit) visibilibus imaginibus ad divinas intelligentias pro virium nostrarum modo conscendimus.* Quam rationem late etiam prosequitur Chrysostomus, hom. 60 ad populum, et 83 in Matt. ubi habet illa verba: *Si incorporeus esses, incorporea tibi dedisset ipse dona, nunc autem quoniam conjuncta est corpori anima tua, sub sensibilibus tibi intelligibilia tradit:* et eandem rationem tetigit Damascenus, lib. 4, de Fide, cap. 10 et 14, et Augustinus, lib. super Epist. ad Gal., col. 9, ubi dicit, omne sacramentum ad contemplationem veritatis esse referendum, et ad honos mores, atque idem sumi potest ex eodem, conc. 1 in Psal. 33, ubi agens de Verbo divino, quod est cibus Angelorum, dicit oportuisse ipsum panem et carnem fieri, ut ab homine capi posset. Quod etiam tetigit

Isidor., lib. de Sum. bon., cap. 47. Secunda congruentia: quia sicut homines, naturali ratione ducti, in unum populum, vel rempublicam congregantur, ita per Christum, qui suaviter, ac sapienter omnia disposuit, in unum Ecclesiæ corpus, visibile, et ad divinum cultum ordinatum, conveniunt, et ideo necesse fuit, signa aliqua sensibilia institui, quæ universo corpori Ecclesiæ essent communia, ut totum hoc corpus veluti in essentiali ritu colendi Deum conveniret. Hæc autem signa eo sunt perfectiora, quo perfectiorem sanctitatem, vel conferunt, vel significant. Quæ ratio sumpta est ex Augustino, 49 contra Faustum, cap. 11 et seqq., et lib. de Ver. relig., cap. 17, et ex Chrysostomo, hom. 39, in Genes., ubi ad hanc rationem alludens, inquit, quando Deus voluit peculiarem sibi populum congregare, dedisse illi proprias, ac definitas cæremonias, quibus ipsum coleret; et propter eandem rationem Tertullianus, lib. de Præscript. hæ., cap. 20, agens de unitate Ecclesiæ, inquit, communionem pacis non alia ratione conservari posse, quam ejusdem sacramenti una traditione, quod recte explicat, ac confirmat inferius, cap. 40. Tertia: quia cum homo constet corpore, et anima, non satis est ut corde credat, nisi etiam actibus corporis suam fidem profiteatur, ut Paulus significat ad Rom. 20. Et ideo necesse est, ut actibus etiam corporis Deum colat, seseque Deo submittat. Item quia, cum corpore, et animo Deum offendant, expedit, ut per sacramenta corporea, vim spiritualem habentia, curetur, et sanctificetur; quam rationem late prosequuntur Gregorius Nazianz., orat. de Sancto baptisate, et Gregorius Nys., orat. etiam de baptisate, non longe ab initio: *Compositus (inquit) est homo, atque idcirco cognata, similiaque medicamenta ad curationem ei destinata sunt:* similia habet Cyrillus Alex., lib. 2, in Joan., cap. 42, et Cyrillus Hierosol., Cateches. 3, et multa ad locupletandam hanc rationem possunt sumi ex Tertulliano, lib. de Resurrect. carn., cap. 19 et seqq. Quarta sumi potest ex Gregorio, lib. 6 in 4 Reg., cap. 3, prope finem, his verbis: *Oportuit, ut per ministerium hominum spiritualia dona nobis darentur, ut dum exterius sacramenta percipimus, interius divina gratia repleamur.* Et aliæ similes congruentiæ legi possunt in Augustino, 3 de Doct. Christ. cap. 9, quæst. 33 in Numer., et 84 in Levit., ubi advertit, non esse visibilia sacramenta contemnenda, etiam si invisibilis gratia prius

comparata sit. Prædictæ vero rationes potissimum procedere videntur de sacramentis novæ legis; tamen servata proportionem accommodari possunt ad omnia sacramenta.

3. *Objectio.* — *Confirmatio objectionis.* — *Responsio ad principalem objectionem.* — *Sacramenta esse signa hominibus accommodata.* — *Ad confirmationem respondetur.* — *In sacramento tria distinguuntur, res tantum, sacramentum tantum, res et sacramentum.* — *Res interior, ut conjuncta exteriori, fit quodammodo sensibilis.* — *Similitudo.* — Sed objiciunt quidam scholastici, conditionem hanc non esse de ratione sacramenti, ut sic, quia posset Deus rem spiritualem instituere, ad cujus præsentiam gratia daretur, v. gr. ad præsentiam actus voluntatis angelicæ, vel humanæ: ille ergo actus statim ac fieret, de se gratiam significaret intuentibus, seu cognoscentibus illum; esset ergo sacramentum non quidem sensibile, sed spirituale. Atque ita sentiunt Okam, Petrus de Aliaco, et alii in princ. 4 Sent. Et confirmant, quia contritio est materia sacramenti pœnitentiæ, et non est sensibilis, et character baptismi, confirmationis, vel ordinis, est res spiritualis, et tamen est sacramentum. Christus etiam, prout est in Eucharistia, est modo insensibilis, et tamen est sacramentum. Respondetur ad principalem objectionem, posse quidem Deum, imponere rem aliquam, seu actionem spiritualem ad efficiendam, vel significandam gratiam; illud vero non esset signum humanum, sed potius angelicum, ac proinde, tale signum non esset sacramentum, prout nunc de sacramentis loquimur: sacramenta enim vocamus, quædam signa hominibus accommodata, ut eis uti possint ad colendum Deum, corpore, et anima. Et ideo sub hac consideratione, necesse est, sacramentum esse rem aliquam, seu cæremoniam sensibilem. Ad confirmationem, tria distinguuntur a Theologis in sacramentis novæ legis, res tantum, sacramentum tantum, res et sacramentum simul: res tantum dicitur, quæ significatur, et non significat, et hæc esse potest omnino insensibilis, ut est gratia; sacramentum tantum dicitur, quod significat, et non significatur, et hoc est necesse esse sensibile, propter rationes factas, nam de hoc præcipue hic loquimur; res, et sacramentum simul dicitur, id quod et significat, et significatur, et huiusmodi sunt omnia illa, quæ in argumento numerantur; et quidem, quatenus res significatæ sunt, nihil obstat quod sint

res insensibiles, quia per sensibiles significantur, ut character per ablutionem, vel unctionem, contritio per confessionem, Christus per species panis et vini: quatenus vero hæc sacramenta dicuntur, oportet ut aliquomodo significant, atque adeo, ut fiant sensibiles saltem per aliud, atque hoc modo res per se insensibilis potest esse, aut pars sacramenti, aut res et sacramentum simul, quatenus, ut conjuncta signo sensibili, aliquo modo manifestatur; atque hoc modo interior contritio sensibilis quodammodo fit per exteriora signa doloris et compunctionis, et Christus videri dicitur per species panis et vini, et quia videtur per modum cibi, ideo refectionem animæ significat, et sic de aliis. Quo fit, ut in toto sacramento semper requiratur aliquod signum per se sensibile, ratione cujus totum sacramentum per se et absolute sensibile sit, quamvis ad illius constitutionem aliquid spirituale internum possit concurrere, quod non per se, sed per aliud sentiatur, sicut homo absolute, et per se sensibilis est, quamvis, simul cum corpore, animo constet, qui spiritalis est, atque adeo per se insensibilis, licet per actiones corporis sese prodat, et aliquo modo sentiri faciat.

4. *Sacramentum non esse signum naturale.* — Dico 2º, sacramentum non esse naturale signum, sed ex institutione et impositione significans. Hæc assertio sumitur ex D. Thoma, art. 5, et Augustino, 2 de Doctr. Christ., cap. 3, ubi significationem sacramentorum significationi verborum comparat, quod utraque est ex impositione; idem lib. 3, cap. 9, ubi dicit sacramentum esse signum divinitus institutum. Et ratio est clara ex dictis, quia sacramentum est signum gratiæ, quæ vel in ipso detur, vel postea danda sit; sed nulla res sensibilis ex natura sua habet hanc significationem, ut per se est manifestum; ergo oportet ut illam habeat ex impositione, seu beneplacito ejus, qui gratiam possit dare, aut promittere; ergo ex divina impositione, ut latius dicturi sumus infra, agentes de causa, et institutione sacramentorum.

5. *Objectio.* — *Responsio.* — Sed objici potest primo, quia sacramenta significant propter similitudinem quam habent cum re representata; dicit enim Augustinus, Epist. 23: *Sacramenta, quandam similitudinem habent earum rerum, quarum sunt sacramenta, quam si non haberent, omnino sacramenta non essent;* et similia habet lib. de Catechizand. rud., cap. 26. Ubi dicit explicandum esse catechu-

meno, quæ sit res in sacramento recondita, cujus similitudinem gerit. Propter quod Hugo Victorinus, lib. 1, de Sacram., part. 9, cap. 4, in definitione sacramenti ponit, ut similitudine representet. Respondetur: sicut dialectici dicunt, voces ita significare ad placitum, ut impositio ipsa rationabilis sit, et quoad fieri possit, observet proportionem aliquam, vel similitudinem inter signum, et rem significatam, ita dicendum est, in sacramentalibus signis observatum esse. Quamvis enim signa hæc voluntaria plerumque imponantur nullo habito respectu ad ipsarum rerum similitudinem, et proportionem, sed ex mera voluntate imponentis, ut est vulgare exemplum de viridi ramo pendente, qui significat vinum venale, tamen major quædam servatur proportio, magisque ostenditur sapientia instituentis, quando in hujusmodi signis similitudo aliqua, vel proportio servatur, et ideo in institutione sacramentorum id semper observavit divina providentia. Et hoc est, quod Augustinus dicto loco intendit: constat enim, solam illam analogiam, similitudinem, vel proportionem, quæ in hujusmodi rebus invenitur, v. gr. inter ablutionem corporis, et mundationem animæ, et similes, non esse sufficientes, ut altera per alteram vere et absolute significetur, et ideo necessaria est impositio, et hoc sensu dicimus, sacramenta ex impositione significare. Quoniam vero contingit, ut sequenti disputatione videbimus, humana verba, quæ sunt signa ad placitum, ad sacramentalem significationem assumi, atque elevari, ideo notanda est differentia inter ea, et res alias, seu actiones naturales, quod in his proportio illa, quæ ad institutionem supponitur, intercedit, quasi ex natura rei, inter actionem sacramentalem, et effectum, ut inter ablutionem corporis, et animæ: at vero verba, seclusa humana impositione, ex qua significant, nullam habent analogiam, vel proportionem, cum effectu sacramentali, ut ad illud significandum assumantur, quod notavit D. Thomas opusc. 22, cap. 24, et ideo in ejusmodi verbis supponenda est propria significatio ad placitum ex humana impositione, quæ est veluti materialis respectu sacramentalis significationis, et inter has duas significationes consideranda est proportio, seu analogia, quæ ad sacramenti institutionem supponitur, ut diximus.

6. *Secunda objectio.* — *Responsio.* — *Significationem non esse relationem.* — *Significationem esse denominationem extrinsecam.* — Se-

cundo objici potest, quia ex hac assertionem sequitur sacramentum formaliter esse ens rationis, quia significatio ad placitum tantum est relatio rationis. Propter hanc difficultatem nonnulli Theologi ex professo hic tractant, quid sit significare formaliter, et quam relationem importet, et similia, quæ dialecticorum sunt propria. His ergo omissis, dicendum est, rationem signi, ex impositione significantis, proprie ac formaliter non consistere in relatione, neque reali, nec rationis. Primum patet, quia non habet reale fundamentum in re significata; extrinseca enim impositio nullam rem ponit in eo quod ad significandum imponitur. Secundum patet, quia relatio rationis tamdiu est, quamdiu ab intellectu concipitur, seu fingitur. Hujusmodi autem signum postquam impositum est, non pendet ex fictione, vel comparatione intellectus referentis unum ad illud: sine illa enim, seu ante illam, exercet munus signi, excitando mentem, ut veniat in rei significatæ cognitionem. Hæc ergo ratio signi præcise oritur ex impositione, quæ re ipsa facta est, quamvis nihil in re ponat physice, nisi denominationem extrinsecam, a reali actu provenientem: moraliter vero, et quasi more humano loquendo, relinquitur in re imposita ad significandum,abilitas quædam, seu aptitudo ad excitandum intellectum, ut rem aliam cognoscat, nam hæc denominationes extrinsecæ, quatenus manent in memoria et existimatione hominum, multum valent ad hujusmodi actiones morales et humanas, ut facile potest exemplis declarari, in potestate jurisdictionis, in gradu doctoratus: hæc enim, et similia, solum per quamdam extrinsecam deputacionem et denominationem fiunt.

7. *Sacramenti impositio debet fieri publica, et stabili lege.* — *Signa ad placitum ad communem usum instituta stabilia sunt.* — *Non stabilia sacramenti rationem non obtinent.* — *Objectio.* — *Responsio.* — Dico tertio: hæc sacramenti impositio fieri debet publica et stabili lege, quæ duret pro statu aliquo, in quo homines ex divina ordinatione talem modum colendi Deum profitentur. Hæc assertio explicatur simul, et probatur inductione. Nam Circumcisio, et vetera sacramenta instituta fuerunt in ritum perpetuum, ut dicitur Genes. 17, Exod. 12, et sæpe alias, id est, in ritum multo tempore duraturum, scilicet quamdiu status synagogæ, ac veteris legis duraret: similiter sacramenta novæ legis instituta sunt pro toto tempore legis gratiæ

usque ad consummationem sæculi, ut Matth. ult. significatur. Ratio vero hujus veritatis est, quia sacramenta, ut diximus, sunt quædam cæremoniæ, in quibus conveniunt omnes fideles, qui membra sunt ejusdem Ecclesiæ, ut sanctificentur, et juxta Dei beneplacitum ipsum colant, atque ita unam Ecclesiam, unumque modum religionis constituent, non quod in solo sacramentorum usu hæc unitas consistat, sed quod ad illam necessarius sit: sicut ergo status religionis et Ecclesiæ est permanens ac durabilis, ita etiam sacramenta habere debent permanentem institutionem. Et confirmatur, nam signa ad placitum, quæ ad communem usum hominum instituuntur, communi lege ac consuetudine stabili imponuntur, alioquin non censentur habere simpliciter talem significationem; ergo. Et confirmatur secundo: nam aliqua sunt signa divina, quæ non possunt convenienter excludi a ratione sacramentorum, nisi ob defectum hujus conditionis, ut verba illa Christi Lucæ, 7: *Remittuntur tibi peccata tua;* illa enim significarunt internam sanctificationem Magdalenæ; et Joan. 20, cum Christus insufflavit, dicens: *Accipite Spiritum Sanctum,* facta simul, et verbo significavit spirituale donum, quod Apostolis contulit, et tota illa actio exterior ad sanctificationem Apostolorum ordinata fuit, et tamen non fuit sacramentum, quia non fuit cæremonia, certa lege stabilita ad sanctificationem conferendam et significandam. Quod enim Cano dicit loco supra citato, Christum non contulisse gratiam illis verbis: *Accipite Spiritum Sanctum,* et non sufficit ad rationem sacramenti excludendam, satis enim esset quod gratiam significaverit, et præterea falsum est, quia verba Christi fuerunt efficacia, et sicut alia miracula imperio suo fecit, ita et sanctificationem, ut in 1 tomo circa quæst. 43 D. Thomæ latius diximus. Aliter vero inquit Soto, illam Christi actionem non habuisse significationem ex institutione, sed naturalem tantum, et ideo non fuisse sacramentum. Quæ responsio eadem erit cum doctrina a nobis tradita, si loquatur de institutione solemnī, et lege stabili posita. Si autem omnem significationem ad placitum excludat, etiam particularem, et pro illo tantum tempore, non videtur vera, quia Christus per sensibilem illum flatum significare voluit interiorem Spiritus Sanctus afflatum, quam significationem, veram ac certam non habet similis flatus ex sola naturali proportionem, seu analogia; ergo tunc habuit eam signifi-